LAUDATIO THEOLOGIÆ

circa ſolennem ad Doctoratum in Sacra Facultate inaugurationem

Perilluſtrium Clariſſimorum & Admodùm Reverendorum Dominorum,

D. M. JOSEPHI ANTONII

DE CLOS,

Sacræ Theologiæ LICENTIATI, Curſûs Moralis PROFESSORIS, COLLEGÆ MAJORIS, Siradienſis CANCELLARII, Eccleſiarum; Collegiatæ S. FLORIANI Clepardiæ ad Cracoviam CANONICI, ibidemq; Feſtorum SALVATORIS, ac B. V. MARIÆ CONCIONATORIS, Parochialis in Naſiechowice CURATI, Academiæ Pinczovienſis, Contubernii Philoſophorum, necnon Scholarum Novodvorſcianarum PROVISORIS.

D. M. JOANNIS JOSEPHI

RYGALSKI,

Sacræ Theologiæ LICENTIATI, Curſûs Polemici PROFESSORIS, COLLEGÆ MAJORIS, Lancicienſis CANCELLARII, Eccleſiarum; Collegiatæ S. FLORIANI Clepardiæ ad Cracoviam CANONICI, Parochialis Vetero-Corcinenſis CURATI, Univerſitatis Cracovienſis GENERALIS PROCURATORIS, Contubernii Geloniani & Academiæ Neo-Corcinenſis PROVISORIS, Publici Sacra Authoritate Apoſtolica NOTARII.

Tertio ſemperqué auſpicatiſſimo ſub Regimine

Magnifici Perilluſtris & Reverendiſſimi Domini,

D. M. JACOBI MICHAELIS

MARCISZOWSKI,

Juris Utriusqué DOCTORIS & PROFESSORIS, Ejusdemq; Facultatis PRO-CANCELLARII, Collegii Juridici SENIORIS PATRIS, Eccleſiarum, Cathedralis Cracovienſis CANONICI, Collegiatæ SS. OO. PRIMICERII, Parochialis in Koniuſza CURATI, Librorum per Diœceſim Crac: CENSORIS, Ordinandorum & Approbandorum EXAMINATORIS, JUDICIS SYNODALIS, Contuberniorum; Regio-Jagelloniani, Juriſperitorum, necnon Academiæ Tarnovienſis PROVISORIS, Studii Almæ Univerſitatis Cracovienſis GENERALIS & AMPLISSIMI

RECTORIS.

Laureas Conferente Doctorales

Perillustri Clarissimô & Admodùm Reverendô Dominô,

D. M. ANTONIO NICOLAO KRZANOWSKI,

Sacræ Theologiæ DOCTORE & PROFESSORE, Eiusdemq; Sacræ Facultatis DECANO, Almæ Universitatis Crac: SENIORE PATRE, Ecclesiæ S. FLORIANI Clepardiæ ad Gracoviam PRÆPOSITO, Canonizationis S. JOANNIS CANTII PROCURATORE, Contubernii Hierosolymitani PROVISORE.

DISTINCTISSIMIS coram HOSPITIBUS SENATUquê ACADEMICO in COLLEGIATA SANCTÆ ANNÆ Cracoviensi ECCLESIA

à

M. ANDREA CANTIO SLECZKOWSKI,

Philosophiæ Doctore, ejusdemque Regio, & Tyliciano Eloquentiæ Professore, Collega Majore, Ecclesiarum; Collegiatæ Sanctæ Annæ Cracoviæ Canonico, Archipresbyteralis Cracoviensis Pænitentiario, S. R. Majestatis Secretario, Publico Sacra Authoritate Apostolica Notario

DICTA,

ac

IISDEM

PERILLUSTRIBUS DOMINIS,

recenter DOCTORIBUS renuntiatis,

PATRIBUS SUIS & MECÆNATIBUS,

in votivam supremi istius literarii Honoris aggratulationem perennequê reverentis animi testimonium

NUNCUPATA.

Annô Domini 1768. Die 9. Mensis Februarii.

Typis Collegii Majoris Universitatis Cracoviensis.

PERILLUSTRES, CLARISSIMI,
& Admodùm
REVERENDI DOMINI
NEODOCTORES, PATRES
&
MECÆNATES!

Um ego mecum cogitarem, quibus nam sub auspiciis præsens ista Theologiæ laudatio, quam Vestro suasu atque etiam hortatu suscepi, vulganda esset; intellexi rem perquam naviter hodiernæ diei celebritati accommodam, si Vestro Nomine insignita lucem adspiciat. Equidem labor iste meus, qualis quantulusqué est, profectò in gratiam Vestri susceptus: in Vestra igitur gratia & benevolentia patrocinium suum quærit, neque inventum iri diffidit. Id ipsum & argumentum rei jure postulare videtur. Theologiæ etenim illius Cælestis atque supernæ Sapientiæ laudes continet, quæ dum

 pulcher-

pulcherrima sua Doctorali laurea emeritas Vestras frontes hodie coronat, non modicam versa vice à virtute & eruditione Vestra dignitatis accessionem sibi læta gratulatur. Et quomodò non meritò gratuletur? dum Vos tales tantosqué Viros Doctorali in Sponsos sibi subarrhat annulô, qui & à natura ad quæque optima comparati, & longa exercitatione diuturnoque usu ad difficilia quæque formati, ingeniô præcellentes, moribûs probi, meritîs & annîs graves, non exiguum Sacræ Facultati decus splendoremque adfertis. Profectò quòd honorem nonnisi virtuosis & Sapientibus deberi atque etiam deferri oportere, communi omnium gentium populorumque voce consensuque accepimus: omni bono, & æquo rerum ponderatori, cui indoles, labor & Sapientia Vestra perspecta fuerit, hæc verò in luce atque oculis nostrûm omnium versantur, fatendum ultro est, exactum intercedere æquipondium inter dignitatis, quæ impræsentiarum Vobis defertur excellentiam, atque meritorum, quibus ad illam eluctati estis, præstantiam. Nullus igitur facere potui, nisi & meæ in Vos summæ venerationi & justitiæ etiam deesse vellem, quin Orationem istam, cujus Vos pars magna estis, amplissimis Vestris Nominibus dedicarem. Æviternum istud & devotionis & gratitudinis monumentum Vobis haberi percupio. Nihil verò aut ardentiùs optare, aut vehementiùs iterum iterumquè precari possum, quàm ut D. O. M. vires Vestras laboribus Academicis fractas continuò restauret, vitam vestram, omnium bonorum affluentiâ prosperam, nobis in solatium, atque rebus etiam Academicis in columen & præsidium servet, cùmque humana conditio immortales Vos certè non sinat, diutissimè vivatis.

ORATIO.

NOvam & ante hanc diem inusitatam mihi dicendi provinciam, non aliqua mea ambitione attentatam (quæ procul abest à meæ naturæ modestia) sed officio meo ad id me permovente, libenter suscipienti optarem AA. quantum voluptatis in animo concipio, tantum in oratione nitoris atque elegantiæ, illâ, quæ in pectore meo altissimè creverat; expectatione concitari, meque parem quantæcunquæ exultantium lætitiæ Oratorem, citra invidiam, eruditorumque censuram appellari. Nam cùm antea per ætatem licuit Jurisprudentiæ contexuisse laudes, illamque coram supremis Senatoriæ auctoritatis culminibus, bonis rerum æstimatoribus, & incorruptis judicibus, ad solemnem pariter Doctoratûs actum, in illustri & præclara loci celebritate, ab honestate bonam, ab æquitate optimam deduxisse, tum quid desiderari potuit, præterquam Sacræ Theologiæ cunctarum artium Dominæ Reginæque observantia singularis, & tantus honos Principi scientiarum & doctrinarũ altissimarũ summa semper demissione tributus ante omnium oculos, per me, quisquis ille sim? è vestigio statueretur. Boni tandem Superi; Quorum arbitriô omnia reguntur; sextô abhinc annô vota coronant, tantò majore cordis exultatione, quantò virtutis uberior sit voluptas super labores inambulare. Quid superest? nisì orationis nitor & elegantia. Utrumque horum quasi ex quodam largifluo fonte à sacra Doctrina satis superque proficiscitur. In utroque obgannientes scioli timendos se objiciunt. Utrumque mihi alta mente tenendum, satisfaciendum utrique. Primum eorum in Eo, Qui me confortat, non reformido, alterum nec leviter vereor. Hinc Sacra Facultas dicendi ornatum, illinc resistendi subministrat acumen.

 Ornatûs

Ornatûs ejuſmodi magnitudo ſinè fuco, ſinè fumo, ſinè ſuperbia, inter tot argumenta felicitatis noſtræ, quaſi inter pulcherrima florū agmina, ipſâ venuſtatis copiâ, ipſa dulcedinis ſatietate oppreſſos etiam & languentes, ſi languere dicantur? qui hac cæleſti eruditione reviviſcunt; erigit, conſolidat, fovet. Quæ ſanè in Theologiam ita proximè erumpit, ùt infinitè à Deo delabitur. Primas ac ſecundùm Deum partes jure ſibi in hac cauſa poteſt vendicare Theologia. Quòd enim illa non ſolùm Martyres imbuat conſtantiâ ad contemnendos gladios, doctrinâ Catholicos ad fraudem detegendam, puritate bonos ad evellenda vitia, ſed etiam Divinæ providentiæ in perſtringendis hoſtìs animæ viribus certam rationem & ſola aperiat, & perfectè complectatur, quantus nitor & apparatus! ut ipſe tenebrarum incola, ſuis cum fraudibus compertus oculis habeatur. Sua eſt, non aliundè precariò quæſita Theologiæ gloria, ſua elegantia, ſua majeſtas. Cùm, utique illa inter alias ſcientias principem locum obtineat, & reliquas tanquam Domina regat ſuæ ditioni ſubjectas, illiuſque in rebus fidei & animarum adminiſtranda ſalute, imperium ſequantur, profectò amens ſit & vecors, qui à tanta illius dignitate, ab utilibus ejuſdem fructibus, tum denique ab ipſa ſupra reliquas omnes artes & diſciplinas præſtantia elegantiam in ſua fore oratione deſperet? Quametſi verò citiùs voluptate diſſolvimur, quàm illud, quod intra concepimus effundamus, ibunt tamen, ibunt Deo auſpice Theologiæ laudes, & bile ſuffuſos, omnia, flava videntes ridebunt. Neque verò lapides, ſentes, ſpinas inter Theologiæ ſuavitates in Momum effutiam, non cachinnos explodam, eum duntaxat, aut meliores epulas paraturum, & me convivâ uſurum, aut meas, quales quales ſint, non reprehenſurum voluerim. Sale hìc aſpergatur, nihil referat ſatyricum, deliniatur comitate oratio oportet. Hoc certè & conſeſſus hic tam honorificus, & ſapientia veſtra ſingularis, & amor in literas noſtras perpetuus, & loci ſanctitas, & actus præſentis celebritas, & dicentis verecundia perſuadere videtur. Dicam jam, ne veſtros ſuſpenſos reddam animos, in eoque ſummam cauſæ totius ſtatuam, quo nihil ſapientûm animos, aut majori admiratione defixos, aut voluptate ſuſpenſos tenet, quo natura humana perruptis juſtitiæ rationiſque vinculis debilis & fracta magnopere ad recti honeſtique orbitam allecta incitataque pertrahitur, quo DEUS hujus tantæ molis & fingendæ prudentiſſimus Author, & moderandæ providiſſimus Pater, res nobis præſtantes & excellentes proponit, ut ad illarum ſtudium acuamur hebetes, excitemur oſcitantes, & ad amorem illiciamur repugnantes. Et hæc quidem

dem

dem quæ nam sint, & quomodò se habeant? tribus in punctis, brevissimè tamen expediam. Desiderium mihi hîs partibûs functuro & cogitatio mortalium tanquam quidam obex, aut quemadmodùm ajunt; cerastes in via violentè opponitur? quid ineptum magìs? aut ab ipsa animorum natura magìs alienum videritis! Actum est de utroque, sublata desideria, ad incitas redacta vana cogitamina! THEOLOGIA DEUM CONTEMPLATUR, QUO NIHIL DIGNIUS; MORES HOMINUM FORMAT, QUO NIHIL HONESTIUS; INTEGRITATEM RERUMPUBLICARUM CONSERVAT, QUO NIHIL UTILIUS; NON TAM DESIDERARI, SED NEQUE COGITARI POSSE, pauculìs clarè tamen deducetur. Animìs vos adesse AA. mecumque hujus Divinæ Sapientiæ præstantiam & dignitatem amplissimam cognoscere vehementer oro, & obsecro. Audîstis ordinem, videte rem.

Cùm altissimis mortalium animis insitus à natura ita veræ ac sinceræ dignitatis sit amor, ut ad eam possidendam & omnino consectandam jure meritòqué honestati & utilitati navent operam, tum satìs demirari non possum turbulentos homines, & omnia pro libidine miscentes, linguâ tanquam flabellô seditionis concitatos, quodammodò ab omni exturbatos ratione fragilibûs caducîsque rebûs, velut solidis & nunquam perituris vota sua explere conari. Respiciant enim semetipsos, intelligant tandem aliquando conditionis suæ nobilitatem, & dignos naturæ excellentiâ sensus induant. Cogitent cælestis illius regionis, quæ nostris imminet capitibus, eximiam pulchritudinem, magnitudinem immensam, splendorem admirabilem, beatum pacis ac quietis domicilium, tantam bonorum omnium copiam ac suavitatem ad cumulandam illius patriæ magnificentiam à Deo liberaliter congestam. Reputent illi secum communem hanc nobis rerum abundantiam cum brutis etiam, copiam terrenorum atq; affluentiam ex æquo probis atque improbis ad arbitrium relictam, imò verò potentiorem sæpe, qui pejor; ditiorem, qui rapacior; feliciorem, qui detegitur sceleratior. Accedit ad hæc lacerari dissidiîs regna & imperia, convelli populos & nationes, excindi urbes, depositas jacere provincias,, omnia ad interitum vergere, & rerum affluentiam tanto malo mederi non posse. Dicite! dicite, quibus voluptates corporis bonum sunt voluntatis, quantumcunque sibi solertis & in rebus amplectendis aut respuendis sagacis, quid sibi volunt istæ? dicite! Potestate sibi permissa, vix dici potest, quàm sit debilis, & quàm facilè in omnem partem agitari, & in id, quod est deterius, flecti voluntatem vos subticetis! ego assentior: eamq; honestô & utilî abuti, tempo-

 raneam

caneam dignitatem virtuosæ posthabere etiam atque etiam superaddo. Nam cùm de honesto res agitur, illud in verbis, non in factis, in conversatione, at pudeat intentione rejecta! in gestu corporis, non in operis fructu, vos posuisse notum est, satisquè perspectum. Quid quæso de utili referam? æquè illud temporaneum est, si utile dicatur? quo vita adimitur. Cæci vos, inconsideratissimi & dementiores pecudibûs cogitâstisne in corde vestro abstrahere animam à carne vestra, & transferre ad sapientiæ lucem, & videre, quid sit utile Filiis hominum? Et hæc media sunt dignitatem animo consentaneam perquirere! proh dolor! dominationem in caducis, cænum, atque fecem omni turpitudine longè deteriorem. Itaque fateamur necesse est, elicita è spiritu honestate atque utilitate, dignitatem virtuosam, eandem ipsam bonitatem, prudentiam, sanctitatem, capessendæ æternæ in patria excellentiæ causâ directam, solam concupisci debere, ultra se non modò quidquam desiderari melius, sed neque cogitari posse. Hanc ultra nec quæsierunt, nec cogitârunt aliquid, qui virtutum studio, qui Divinæ legi constanter adhæserunt, qui labores innumeros, vigilias, solitudines, flagella, mille dolorum ac mortis species, illius causâ pertulerunt, qui Christi ipsius merita, cruciatus, supplicia, necem acerbissimam suis ipsorum in meritis computârunt. Divinam secuti sunt dignitatem, tanquam sui procreatricem, vitiorum ac falsi expultricem, veritatis, utilis, ac honesti magistram, ut non jam opinionibûs hominum ad varios errores abribi se paterentur, sed id, quod est rectum, & saluti consonum; sectarentur. Dilatârunt sui pectoris angustias, fræna cupiditati laxârunt, optârunt, appetiverunt, adspirârunt ad illa bona, quibus in possidendis animus sic acquiescit, ut neq; ea conservandi anxietate torqueatur, neque eadem amittendi metu crucietur. Fortunati jam mortales, quos tanta dignitatis æternæ magnitudo respexit. Nec miseros viatores fideles, qui divites facti sunt in Deo in omni scientia. Sed tempus est, institutæ orationis expediamus seriem, iisdemque verbis, quibûs initium dicendi accepimus, finem dicendi tentemus.

I.

Atque Theologiæ dignitatem invisere, quòd contempletur Deum; primum est. Quid Deô dignius? quid Theologiâ præstantius dicendum vel cogitandum occurrit? Excelsa illa: præcellensq; Natura, magnitudine, immensitate, sapientiâ, omnique perfectione infinita, qua nihil beatius, nihil bonis omnibûs affluentius concipi potest, de qua dicere etiam vera periculosum est. Principiô & fine carens cùm semper fuerit, exploratum habet, tum

in maximis,

in maximis, tum in æternis voluptatibus nunquam se non futuram. Potentiâ & virtute absoluta gaudet, neque hominum, neque Cælestium Spirituum comitatu ad suam felicitatem indiget explendam. Extra est, intra est, ubique est. Nihil sibi deficit, nihil accedit, nihil est varium, nihil à se diversum. Magnitudo sua sic illi redditur, ut mens hæc universi sola sit omnia. Natura isthæc DEUS est scientiarum Dominus, & non solùm Author omnis sapientiæ, sed etiam idem ipse Instructor. Hic primordia Sacræ Theologiæ tradidit. Hic Princeps & Author est Cælestis istius disciplinæ, Quem sibi eadem scopum & finem præcipuæ maximæq; suæ dignitatis proponit. Namq; reliquæ scientiæ hominum industriâ sunt repertæ, & assiduo ac pertinaci labore propagatæ: hæc verò non aliquem mortalium, sed ipsum Dei Filium, Patris æterni Sapientiam, in qua sunt omnes thesauri sapientiæ ac scientiæ reconditi; suum consummatorem agnoscit. Hæc alias qualcunq; artes & scientias vetustate originis & generis nobilitate longè superat, de ore Altissimi producta, primogenita ante omnem creaturam, Sanctis Dei hominibus cælitus inspirata, & afflante Numine in amplissima dictata volumina. Huic uni facilè reliquæ omnes fasces submittunt scientiæ, primô illam ante se locô dignantur, nec unquam de aliqua injuria conquestæ sunt, aut de præstantia judiciô experiri voluerunt. Illæ in hujus mundi fabrica rerumq; in ea conditarum pervestigatione versantur, aliæ rotant sceptra, & secures, dirigunt consilia, flectunt populos, differunt bella, componunt tumultus, aliæ hominem libertate sua abutentem, qui priùs ferebatur improvidus, & per præcipitia labebatur, frænô legis retinent, & compositis docent incedere pedibûs, aliæ grandi corporum plagæ alta & prolixa excogitant medicamina, aliæ res humanas Divinasq; cum studio bene vivendi cognoscere satagunt, hæc sola Authorem & Opificem universi Deum contemplatur. Quæ quidem in hoc genere officii eadem semper fuit, ante hujusce mundi & hominis fabricam elegantissimam, tanti Numinis celsitatem infinitam expressit, cum Eo cuncta composuit, & ad genus humanum in pristinam dignitatem restituendum cum Duce Præceptoreque suo maximo Christo JESU in terras descendit. Atq; ego quidem cùm Majestatem Filii Patris Æterni sacræ hujus salutarisq; disciplinæ Perfectoris, ipsius Divinæ humanæq; naturæ unionis eminentiam, nullâ Cælestis etiam cujuscunq; spiritûs eloquentiâ satis celebrari posse indubitanter fateor, tum mihi constare liquidò satisq; videtur, nihil jam majus ad dignitatem Theologiæ recensendam quæri debere. Hoc enim totum Divinitatem

tem spirat, hoc ab artibus & disciplinis, suisq; fabulosis & commentitiis inventoribus, longô Theologiam intervallô distinguit. Sanctitatem tamen ejus qua & ipsa perfungitur, & quam cumulatè in genus mortalium diffundit, tacitus nullo modo præterire possum. Equidem quid tam est admirabile, quàm inter cæteras disciplinas, existere vim illam sapientiæ, quæ quod rerum omnium difficillimum, quod à sensibus remotum, quod ipsis supernis mentibus sit inaccessum; perscrutetur, & animis mortalium instillet? absorbet Theologia, & audientibus insinuat. Quid est tam dignum aut futurorum, aut præsentium temporum præconiô, quàm in medio vitæ caducæ decursu, jam inter beatas illas comprehensorum animas exspatiari, optata visione perfrui? beneficiô Theologiæ datum id est atq; concessum. Divinæ naturæ perfectionibus, emanationi Personarum, illiusq; proprietatibus, quibûs adinvicem secernuntur, quæ mentis aciem prætérlabuntur, nec facilè percipi possunt, Sacram Theologiam deditam esse, quanta sanctitas, tanta dignitas. Adde verò ipsas perfectiones, quæ multiplici ratione, in quovis Dei relucent opere & beneficio Theologiâ doceri, quàm manifesta asserendæ Divinitatis testimonia! Immensa Dei potentia nullis sub sole comparanda viribûs, quæ vi ac incredibili celeritate quidquid in creatis aut mentis, aut corporeô visitur oculô, unicô suæ virtutis produxerat verbô, hac se revelandam non subterfugit sapientia, ò robur! ò inauditam Theologiæ potestatem! Sapientia illa æterna mirabili nexu & primarias mundi partes, & res universas illarum ambitu contentas stabili ac perpetuo amicitiæ consocians fœdere huic se evolvendam commisit, quæ præstantia! quis honor! quæ majestas! Misericordia Divina in collapso hominis statu restaurando copiosè effusa, celsitudo majestatis exinanita, & carnis nostræ mortalitate induta per hanc inducitur, quæ auctoritas? auctoritas! quam quoties cogito, extra me rapi videor. Eram enim debitor, æris inops, animam ipsam debui, Redemptor attulit sanguinem suum culpæ meæ pretium. Meum erat debitum, Illius pretium. Mea culpa, Illius pæna. Quid plura? rigor justitiæ insonat, Divina humanaq; jura temerantes improbos perditosq; homines æternis suppliciis mancipandos, arsuros ignibûs denuntiat? hac sacra doctrina promulgatrice denuntiat. Quin etiam Bonitas infinita exultantem in præmiis conferendis celeritatem, superabundam & inexhaustam beneficiorum copiam, quibûs præclaros conatus laboresq; susceptos, & in monstris flagitiorum profligandis, & in lege Divina adimplenda, & in cultu nominis ejus tuendo sit exornatura, certè per hanc scientiam

entiam pollicetur. Promissum ejusmodi, ut præ gaudio pauculis rem absolvam, cujus intimas ad voluptatem non excitet fibras, non eum ego de grege electorum censeo, sed reprobum alta voce judico. Nec utique ille illuminari ad bonum à malo discriminandum rationem, nec ad cognoscendum verum à falso, nec ad sciendum quid agi, quid credi, quid refutari oporteat? idoneus meâ sententiâ decernitur. Non intelligit claritate beatifica se munerandum, facie ad faciem Deum visurum, adventitium quoddam, quod accidentale dicitur, insigne gaudium mentem beati gloriâ operum propter Deum susceptorum, atq; magnitudine difficultatum, & superatarum molestiarum exultaturam consecuturum nec credit, nec sperat, nec intelligit. O insipientiam singularem! amentiamne dicam? parum est, hæresis mihi in mentem arguenda occurrit. Nôstine in anima separata tanquam in radice gaudium residere, & per quandam redundantiam explicandum in corpora, & signîs quibûsdam manifestîs & illustribûs in agminibus Beatorum spectandum? Nôstine candoris nivei virginitati laureolam paratam, aut purpureo distinctam colore; Martyrio, aut instar vernantis palmæ viridem ex se fundentis splendorem Doctoratui in capitibus comprehensorum rutilaturum decus? Tu non nôsti, patitur Ecclesia. Vicit illa mansuetudine, vicit beneficentiâ, vicit veritate. Hîs præsidiîs Christus & post Ipsum Apostoli Judaicæ gentis expugnaverunt pervicaciam, Græciæ Philosophiâ tumentis vicerunt supercilium. Hîs armîs tot barbararum nationum invictam feritatem subegerunt. Hoc gladiô totius orbis Tyrannos ac satrapas fidei jugo subdiderunt. Quis autem non videat, quibûs rebûs Christiana Religio nata, aucta ac constabilita sit, iîsdem etiam prædicandam & annuntiandam Gentibus, ut fidei lumine collustratæ verum Deum agnoscant? hoc totum est Theologiæ, hôc illa gaudet gestitq; suam ad dignitatem perfungi ministeriô. Illi datum est scire mysterium Regni Dei & communicare. Per illam ingeri mentibus non debere gloriari sapientem in sapientia, nec fortem in fortitudine sua, nec divitem in divitiis suis, sed in hoc gloriari, quòd glorietur nôsse Deum, quia ipse est Dominus; concessum est. Sibi deditos velut justos deducit Dominus per vias rectas, & ostendit illis Regnum Cælorum & dat illis scientiam Sanctorum. Per illam, quod mea opinione maximam dignitatem spectat, data est scientia salutis plebi Ejus in remissionem peccatorum.

II.

Cogitemus ampliùs, quæ vis hujus salutis scientiæ innata esse videatur? Vim eam cogitemus, ut omnis vel pene omnis laude illius moveatur. Hac mores hominum interiores & externi componuntur, & sub regula disciplinæ omni rejecta turpitudine feruntur. Quidquid est in homine Christiano sive ad animum, sive ad corpus relatum, fulgidum hac fit & honestum. Omnia quæ aguntur cum corpore, vi hac excellenti mentaliter pervia sunt, luminosa sunt, quò ad intus & extra bona sunt, conversatione plena, & in omni sui parte splendida. Cogitatio & affectus, actus, gestus, habitus & affatus fulgent illius limpida claritate. Quamètsi verò timeant nomen ejus, & in ipsa Theologiæ moralis memoria impallescant Athei, Epicurei, Machiavellopoliti & reliqui hujus furfuris Heterodoxi, nos tamen ad mentionem illius non contremiscimus, sed inflammamur, non quiescimus, sed quærimus, donec inveniamus, & amanter possideamus. Possidentes at verò cavillis velut fulminibûs membrorum aridorum ferimur, & vincimus, arguimur & intelligimus, deserimur & augemur, per mortem filiorum vividi, per dispendia divites, per ruinas gloriosi efficimur, certè Magistrum nostrum secuti, Qui vicit, cùm judicatus est, cedendo superavit, & cadendo in mortem, resurrexit in gloriam. Sic semina messium gelû constricta & mortua germinant: sic ignis flatu premitur, ut crescat: sic unguenta commota redolent: sic aromata fragrantiam suam, cùm incenduntur, latiùs expandunt: sic vinea putata uberior redditur & fæcundior: sic Arca Noëmi ab undis sepelienda diluvii, ab iisdem altiùs ferebatur, ejusq; concussio, ipsius erat erectio: sic luna videtur deficere, & non deficit, & obumbrata non obscuratur, sic nos damnis & ruinis Hæreticorum impetimur, & in majorem nominis Catholici famam attollimur. Vivum est & efficax verbum Dei in nobis, quo metum & languorem pellimus, ad ardua & sublimia urgemur, rerumq; mundi vanitate ac fallaciâ cognitâ ad statum æternitatis immotum & perfectum invitamur. Abjicimus opera tenebrarum, & induimur arma lucis, & honestè ambulamus. Examine mentis interiore præmisso cogitamus, asperiùs macerando carnem vigilamus, bonis operibûs ad fidem adjunctis laboramus, sinceriùs moribus innixi ornamur, ulteriùs operantes continuamur, mala libenter tolerando armamur, & honesti reddimur, cùm honestum aut ipsa virtus est, aut res gesta virtute. Nec mirum est: virtutis iter plenum à Theologia accipimus, ut è contrario lubricam ad vitium viam fugiamus. Hoc itinere ducti imprudentiam peccantium devitamus.

mus! Subaudimus eos viva voce Theologiæ instructi, sumptibûs suìs arcessere sibi malorum ultimum, ut celeriùs pereant, domos ipsosmet suas fodere, quibûs obruantur velociùs, rogos extruere, in quibus ardeant, laqueos nectere, quibûs se interimant, aucupari voluptates momentaneas, ut doloribûs crucientur, & dementiam eorum satìs demirari non possumus! Ruere eos infelices, nec suæ memores salutis, quàm turpe est, tam honestum doceri Theologiâ in recto virtutis hominum pedem stare debere. Aperit illa oculos inanî lucrô rei levissimæ, nulliusq; pretii curîs vigiliisq; vitam terentibus, fluxam voluptatem multorum annorum labore mercantibus, ac circumspiciant tantisper, quàm horribilia eos mala circumstent! & clarè explicat, & explicando vehementer obtestatur. Quis tandem satis prædicet, quanta hinc & quàm opima spolia detrahit inferno, & quàm gloriosô triumphô infert Cælo? Quis satìs cogitando complectatur? quot animas tanquam hostias funestæ cædi ac rapinæ infernali per peccatum destinatas eripit? quas coronâ beatitudinis exornandas restituit. Pestilens omnis culpa ab hac exploditur, quo demum in gradu malorum hæreat, per hanc non habet. Videmus eam præceptis Theologiæ, ac scimus dolore corpus conficere, caliginem menti offundere, vim judicii labefactare, vires ingenii frangere, aciemq; hebetare, de statu naturæ totum hominem dejicere, mortem afferre teterrimam scimus ac videmus. Impuros quò sua nefaria libido rapiat? avaros quos ad scopulos opum cupiditas allidat? heluones, quam in charybdim immergat? vanissimos quomodò lapsu fædiore ruituros in altum attollat? per sacram hanc sapientiam exploratum est. Dicamné ampliùs? dicam, taceo! ipsa Theologia omnibûs lacrymîs gemitibûsq; deplorandam mortalium alloquitur amentiam. Imminet tibi æterna mors! cur te novis quotidie criminibûs inquinas? Vides carnificem à tergo strictô ferrô manuq; elata paratum ad cervicem tibi amputandam! cur contra honesti leges gradiens infelici gladio ultro caput submittis? Ipsa tandem ego religione virtutumq; ordinibûs stipata, verbîs quàm ornatissimîs ad tribunal illud, coram quo universæ causæ bene ac malè gestorum examinabuntur, tantæ impudentiæ fidem faciam. Horret animus plura dicere, quemadmodùm exhilaratur virtutibûs omnibûs Divinam Theologiam contra scelera decertare universa. Hîs illa armîs munita, in causa fidei vindicanda, in rebus Ecclesiæ tuendis, in cultu Divino amplificando, in audacia adversariorum comprimenda, in peste protерviæ grassante propulsanda, denique in ipsa potestate tenebrarum frangenda, & bella ciet, & palmam

 capessit.

capessit. Proterit infidelitatem fide, desperationem spe, odium charitate. Humilitate superbiam proculcat, liberalitate tollit avaritiam, continentiâ expungit luxuriam, mansuetudine condemnat iram, benevolentiâ annihilat invidiam, temperantiâ pessundat gulam, vigilantiâ comprimit acediam. Prudentiâ præterita in memoriam revocat, præsentia ordinat, futura præcavet. Beneficia, quæ accepimus, delicta, quæ commisimus, adversa, quæ habuimus, vilitatem, in qua nati fuimus, hac discretione, morumq; regulâ nostris sistit in oculis. Temperantiâ, animi imperio corporis potentias subjicit. Nos epulaturos & exultaturos in conspectu Dei erudit justitiâ. Ad resistendum malo, & perseverandum in bono præmunit animos fortitudine. Quid mihi dabis in moribus rationi congruentibus, quod aut ab illa non accipias, aut si velis, hac ductrice non sequaris? Nullum tam capitale flagitium, nulla tam vehemens perturbatio, nulla adeò exitialis animæ ruina, cui Sacra Theologorum doctrina mederi non contendat. Nulla in arduo ita posita est virtus, ad quam Theologia non enitatur, ipsius probitatis magistra. Veræ istius causâ cogere copias, signa conferre, instruere acies, prælia committere, & contra singulas hæreses tela mittere, tormenta displodere acerrima, distringere gladios, fugare hostes, & mille plagis vulneribúsq; illatis conficere usuvenit Theologiæ. Disputationes maximæ, coacta concilia, auctoritas Ecclesiæ, responsa Pontificum, rationes accuratæ, argumenta fortia, quibûs deteguntur mendacia, aperiuntur errores, patefit veritas, delentur & extinguuntur furiæ, arma hæc sibi sunt pro vindicanda virtute, hi umbones, hi gladii. O pulchrum sinè sanguine triumphum! Et verò fundatur Catholicorum sanguis, ùt fusus est Sanctissimorum Virorum, virtus tamen nitidissima nullìs maculìs offundetur. Ructentur sermonibûs proscriptiones bonorum, cædes & exitium parentur, impetantur bona, divitiæ & vita eripiantur, acquisita de thesauro Theologiæ virtus neq; cedet, neq; cadet. Hac perfectè imbuti Catholici ad ipsam divisionem animæ pro sacra expiatione delictorum, pro Eucharistia, pro Sacramentis omnibus, pro placitis nostræ fidei, pro Sanctorum ope, Virginis Matris patrocinio, Christi JESU decretis, Vicarii sui Romani Pontificis auctoritate, sacrificiis rei Divinæ, ritibus & cerimoniis Ecclesiæ, ejusdemq; unitate sunt decertare parati. Illi namq; cum Christo nomen suum dederunt, Capitis sui sinceri imitatores effecti, quid se præstare melius, & præstituros esse gloriosius per omne tempus arbitrabuntur? quàm ut facibûs hujusce doctrinæ flagrantibûs inflammati, bono & acerrimo mentis acumine præditi, pro suo Ser-

vatore

vatore pulchram mortem oppetant. Agant Heterodoxi funera, iras acuant, enſes expediant, lacerent, perurant, jugulent, mille in partes dividant, ſanguine noſtro ſe exſatient! non erit ad mortem minùs animi, quàm eſt ad virtutem. Suppliciorum non terret nos acerbitas, aut tortorum furor metum incutit. Et facere & pati fortia, Catholicum eſt. O virtus! ô ſanctitas! nihil poteſt extra te optari. Nihil enim te eſt melius, ipſa pretium es tuum. Sola tu & unica æternùm æſtimaberis. O virtus ipſo hujus diſciplinæ labore humanis inſtillata cordibus. Teſtor Gregorios, Ambroſios, Aquinates, & omnes Eccleſiæ Doctores, teſtor Alumnos ſacrarum Familiarum præſtantiſſimos, teſtor Auctores & Parentes ſanctiſſimorum noſtræ Religionis Ordinum, qui præſidiis Theologiæ tantam Divini Numinis cognitionem adepti, & tuam perfectionem ſunt conſecuti. Atq; poſtremò juſtum Judicem & munificentiſſimum bonorum retributorem Deum teſtor, Qui te ſolam in civibus ſupernæ coronabit patriæ, & aureolam expediri, & dari ſibi imperabit, quam Theologorum capiti cum titulo Doctoratûs perenniter duraturo imponet. Quanta tunc virtutum univerſarū erit exultatio, & congratulatio! quàm grata totius concionis Cæleſtis voluntatis ſignificatio! dum ſinguli accepta beneficia ipſamq; nunquam immutandam felicitatem monitis, contentionibusqué docentis Theologiæ deberi affirmabunt. O multis & innumeris modis beata Theologia! quid ultra te cogitabo honeſtius? quid amabo præſtantius? quid prædicabo glorioſius? Diſcedant ab amore inanis gloriæ cupiditates, & honorum hujuſce ſæculi exulet aviditas, ſola Theologia mentem occupet, quæ ſola beatæ conſequendæ patriæ media hominibus ſubminiſtrat. Nihil jam ego ſupra hanc ad mores componendos felicius video, nihil deſidero, nihil cogito honeſtius, nihil deformius eſſe, quàm nullum habere amorem Theologicæ honeſtatis, voce qua poſſum maxima pronuntio.

III.

Quid tandem vultis? video vos expectare, quod de utilitate in ultimam orationis partem reſervavi, ut, quantùm Theologia poſſit ad Rerumpublicarum integritatem conſervandam? audire cupiatis. Huic ego utilitati cùm diligenter attendo, intelligo nullum ſtatum & fortunam eſſe mortalium, cui ſuffragari Sacra Theologia non videatur. Neq; domi, neq; foris, neq; in foro, neq; in tribunalibus, neq; in contrahendis negotiis, neq; in agendo quocunq; modo jurium & ratione, neq; in Eccleſia, neq; in curia, in vita, in diſceſſu animi è corpore, in bello ac pace, adverſa & in proſpera fortuna abeſſe ab hominibus poteſt tantum

& tam inæſtimabile donum. Reor enim utilitati Reipublicæ conſervandæ ſufficere fidelem amorem, defenſionem virilem, nobilem ornatum, ordinationem debitam, ſagax regimen, & inter tantas hujus vitæ varietates, amori incitamento, defenſioni præſidio, ornatui commodo, ordini fulcro, regimini auxilio Theologiam eſſe pleni ſunt omnes libri, plenæ ſapientûm voces, plena exemplorum vetuſtas. Quis ſuperbos & arrogantes animos mitigat? exultantem ferociam decoquit, duram et crudelem imperii neceſſitatem temperat, diſcordantium voluntates dulciter capit, glorioſè illaqueat, ſuaviter premit, onerat delectabiliter, fortiter ſtringit, prudenter erudit? amor in Theologia præceptus. O felix amor! ex quo oritur ſtrenuitas, morum puritas, affectionum ſubtilitas, intellectuum & deſideriorum ſanctitas, operum claritas, virtutum fæcunditas, meritorum dignitas, & ſublimitas præmiorum. Ab hoc fonte gubernandi principia trahuntur, in hac regula Rerumpublicarum forma deſcribitur, in hoc ariete, publica civium ſalus fortiter defenditur. Dextro marte hoſti reſiſtere, non clam & per cuniculos pugnaturis aſſiſtere Principibus, tutè perſeverare in propoſito, cæpta perficere, nunquam enervari, ſemper in bono progredi, fortitudinis eſt ab hac rerum Divinarum ſcientia imperatæ. Hæc inquam molitur, ut non tantùm habeatur in regno poteſtas, ſed uſus etiam poteſtatis optimus, & dum imperium vicaria Dei manu flectitur in terris, ad cæleſtis regiminis formam temperetur. Quemadmodum terrena omnia deciduìs veluti ſeminibûs è cælo prodierunt, ita perpetuo quodam cum Divinis commercio conſervari per hanc ſciuntur. Ut poteſtas omnis ac bonitas à ſuprema Poteſtate & Bonitate infinita dimanare intelligatur, hæc erudit, hæc terrarum Dominos præcingi virtute & fortitudine leniſſimè perſuadet. Accedant ad eam gentes & inſulæ, & mutuentur fortitudinem, ornamentô & ipſæ ſuarum Rerumpublicarum futuræ. Ornabunt faciem earum in verecundia & ſobrietate, indutæ juſtitiâ ornabunt coronìs aureìs. Circumdabunt eas ornamentô neceſſitatis, pompæ, congruitatis, tanquam ſponſum decoratum coronâ, & tanquam ſponſam ornatam monilibûs. Nam cùm Artifex ille ſupernus cælum ſtellìs, terram plantìs, mare piſcibûs, àërem avibûs, arbores foliìs, pecudes pilìs, tum Reſpublicas triplici hominum ſtatu, Sacerdotum videlicet, militum, ſponſorum ſeu conjugum ornari voluit, in ornatis iiſdem, ut ſpiritualiter iſti Sibi miniſtrarent, illi contra hoſtem animæ triumpharent, virgines ſeu ſponſi per charitatis conjugium Sibi copularentur, Theologicìs id tractatibûs fore inculcandum decrevit. Parent quicunq; altiſſimi decreto Judicis, ſplendore

diſcre-

discretionis refulgent, conversationis virore nitescunt, humore devotionis firmantur, impulsu contemplationis volitant, decore bonæ verborum usurpationis clarificantur, & fervore dilectionis inflammantur. Beati homines, beatæ Respublicæ, quæ hanc invenerunt sapientiã meliorem acquisitione & negotiatione argenti & auri, cujus primi sunt & purissimi fructus. Ornat eas Theologia velut sponsa fasciæ suæ pectoralis nunquam oblita, & in bonum ordinem digerit. Hinc ordo morum & actuum, ordo rerum & statuum proficiscitur. Hinc agendorum regulam Deum esse, nihil regnis conducere ad salutem, quod cum Illo non concordet, Illi & publico bono servire oportere, sagaciter populum regi, moribûs feros, agendi consuetudine barbaros, ad leges Divinas humanasq; cicurari, hinc ortum esse nemo est, qui dubitet. Quantus ordo, scire, quod bellum licitè suscipiendum, quod ineundum fædus, quæ pax tractanda, quæ rumpenda societas, quæ condendæ leges, quæ vectigalia indicenda, quæ prohibenda, quæ imperanda, quæ urgenda, ut sive blandientem suaviter, votisq; adspirantẽ omnibus sortẽ experiare, sive sævientẽ immisericorditer & reflantẽ perpetuò fortunã feras, in utraq; vitæ conditione tam dispari, studiô tamen pari, quod tuũ est consequaris, quantus ordo! quàm sagax regimen! Majestas horum utroq; continetur Regia, sed ut sit fulgida, inflammatur pietate. Nam ùt majestas quædam est Divinitatis participatæ dignitas, ita pietas est ejusdem quoddam cum Divinitate conjugium. Stabilitur thronus potentiâ, sed leges moderante Theologia. Coactis floret consiliis, sed ut hæc ad primæ Mentis regulam confirmentur, procurat Theologia. Regna perennant judiciis, sed bilancem ratione librat Theologia. Bellis susceptis pacem quærit Respublica, sed ne irrepat vel nocendi cupiditas, vel ulciscendi crudelitas, vel implacabilis animi feritas, prohibet Theologia Prohibet verò doctrinâ sacrarum literarum à JESU Christo petitâ, traditâ ab Apostolis, Patrum gravitate, clarissimorum Virorum testimoniis; summorum Pontificum responsis perfectâ stabilitâque. Hæc in Academiis resonat, in cætibus Sacrarum Familiarum viget, in templis dominatur, in suggestis ad populum congregatum non silet. Hæc non exulat à curia, à Pontificum sedibus non discedit, ab ipsius visibilis Fidei nostræ Capitis aula nunquam abesse potest. Hæc in sapientissimis Doctoribus, laboriosis Professoribus, Evangelicis Præconibus ardore & pugnandi contentione inflammata nunquam deficit, somnô aut curis nunquam elabitur, quæ cum sanctis animalibus requiem non habet, oculis antè & retro plenissima. Loricam Religionis Catholicæ induta, perstat in acie

D ad

ad lucernam ardentem bonorum operum viam mandatorum Dei currentibus perpetuò invigilat. Non levis est illius labor in effingendis hominum moribus & affectibus excitandis, quibûs hostium tantæ multitudini possint obsistere, & illorum incitatos ac furentes impetus comprimere. Obsistunt audacter, comprimunt gloriosè, & quæcunq; ex hæresum colluvie reportant trophæa, ea Cælesti Theologiæ deferenda esse satis intelligunt. Sit sanè, quod sinè dolore nefas dicere, ab Heterodoxis Fidem Religionemq; nostram despectam esse: nos eam colimus, & æternùm colere parati sumus. Confixerunt illi errores libidine ducti, & falsa dogmata amplexantur, nos veritatem & sacra Dei præcepta mente in obsequium fidei captivata profitemur. Pudeat eos à Matris Ecclesiæ gremio disjunctos, in sexcentas divisos sectas, in turpes abivisse factiones: nobis in uno Ecclesiæ sinu complexuq; acquiescentibus Catholicam Romanam Sedem tueri ac defendere gloriosum summèq; decorum. Illos mortuos esse ob defectum necessariæ ad animorum incolumitatem medicinæ, quam Sacramenta ingerunt; quis non videt? nos ea debito honore frequentes prosequimur, ad immortalis Regni gloriam iis utimur, & restituti ad gratiam sani semper vivimus. Illis cùm Sacramenta non sint, sacrificia non sunt, aut cùm hæc pauciora Christi institutô videantur? nulla sunt: nos Victimam hanc cælestem supplici adoratione, corporibûs pronis, pectorum percussione signô humiliationis debitæ; testamur, veroq; Corpore Domini ac Servatoris, non fictitio, non figurâ, non ad tempus transubstantiato, ad satietatem animæ vescimur. Illi oves errabundas se nominari sinant! cùm Sanctis nos communionem habemus. Horum suffragiîs nitimur, horum precibûs meritîsq; inutilia terræ pondera à malo in bonum inducimur. Verum Dei cultum in Ecclesia Catholica intemeratè retentum sacrosanctè servamus, & beatas eo reddi Respublicas indubitanter asserimus. Nec aliunde tantùm boni in Regna, cuncta rectè pensando; evenire dictitemus oportet, nisi è Theologiæ Sacræ disciplina omnium utilitatum duce ac principe maxima. Illâ reapse disciplinâ, sinè qua nihil suis numeris absolutum esse dignoscitur. Illâ rerum immutabilium notitiâ, verè Dei immortalis donô & inventô, quo fidem florentem, incolumem Religionem, tantam Sacramentorum frequentiam incrementum ardoris & amplificationem maximam, tantâ assiduitatē pietatis, tam inflammatum in Sanctos omnes studium, obedientiam & devotionem singularem aspicimus. Sectantes istam sapientiam evoluti corpore, imò etiam in carne hac, in pelle hac, in ossibus, in nervis istis & arteriis ad sedes cælorum recepti, reli-

qui

quis conticentibûs artibûs atq; scientiis, silentibûs disciplinis, quibûs opus non esse taciti etiam dicitis; dogmata isthæc in Beatorum agminibus, in Divinis mentibus, in Christo JESU, in Sanctissima TRIADE perspicuè clarèq; ostensa nunquam videre desinemus. Quid hôc est optabilius? quid utilius? quid ad conciliandos animos mortalium potentius? & quid ad pertrahendum suaviter eum, quo se quisq; prosequitur amorem, plùs posse videtur? Parùm ista sufficere ad utilitatem ex Theologia capiendam effrontibus ultroq; veritati terga opponentibus quametsi permiserimus, quid erit Theologiam ad leges Evangelii & Christi effata compositam, non de illis solùm, quos amicitiâ aut communione conjunctos habet, verùm etiam de inimicis, de ignotis & alienis bene mereri studere? meâ sententiâ summa est utilitas. O Theologiæ utilitas! quæ etiam ad perniciem nostram attentos, sanctissimis quibusq; viris metum perpetuum incutere conantes revocas à consiliis, & plerumq; nobis augeri in societatem inducis. O Theologia quàm percommodè & magnô nostrûm omnium fit solatiô, quod infinita hostium invidia cum incredibili imbecillitate sit per te conjuncta! O Theologia ad quantas vigilias, ad quàm arduum laborem cùm in Religionis Divinæ integritate retinenda, tum in sentibus vitiorum extirpandis hos vocas, qui candidati veræ tuæ dignitatis nominari expetunt, & in aula æternitatis ambiunt renuntiari tui sinceri amatores!

Jure tibi gratuleris tuos officiô, tuis certatim deditos laboribus, innutritos vigiliis, annos & impensas non ludicris rebus, aut oblectationi, sed uberrimè à te proficiscenti virtuti insumentes, probos, modestos, sinceros, à luxu & superbia remotos, ambitionis immunes, excultos ingeniô, remissos affectibûs, benignos affatu, consuetudine probatos, verbô Theologos bonos, Professores sedulos ad supremam tuam Doctoratûs lauream invitari. Tales nancisceris PERILLUSTRES VIROS, qui virtutibus tuis in se theatrum delegerant, unde lumen laudabilium operum, & emicans non solùm domi, sed peregre etiam magnæ eruditionis splendor faciliùs in omnes Academiæ partes funderetur & coruscaret. His à prima Academica vita in naturam transiverat, bonas literas ab egregiis adolescentibus percipi curâsse, studia coluisse, acuisse ingenia, limâsse doctrinas, perfecisse omnes disciplinas, & consummâsse. Nacti quos fuerant per id tempus instituendos patriæ surculos, non fucata & ementita specie, sed vera ac solida virtuti junctæ sapientiæ ratione, ita eos imbui fecerunt, ut scirent sua indole ad omnia officia rite obeunda primùm rectè uti, deinde Eorum promerita atq; dexteritatem in agendo, apud Prin-

cipes primosq; Regni Cives laudatissimè extollere. Quid suos memorem singulos Discipulos, quos & in hoc scientiarum fonte, in suis Majoris Minorisq; Poloniæ Coloniarū rivulis, cùm ad ovile Domini ritè rectèq; custodiendum formando Pastores, tum ad Regni negotia fortibûs suscipienda brachiis instituendo cives excoluerunt? Loquuntur illi operam suam non perditam esse in Magistris, atq; vitam inculpatam & mores omni homine dignos prædicant quaquaversum, æternùmq; non silebunt. Nam quis est proborū liberaliter educatus, cui non educatores, cui non Magistri sui atq; Doctores, cui non locus ille mutus, ubi ipse altus, aut doctus est, cum grata recordatione in mente versetur? Resonant Contubernia studiū disciplinarū, progressiones mirabiles virtutū, in mentibus alumnorum vigili suo labore, cum incredibili celeritate factas, illudq; beneficii genus usurpant frequenter, crebriùs prædicabunt. Ut enim medico, ita præcipienti recta honestaq; superiori operæ pretium solvitur, animi debetur. Quid Eorum incredibili atq; toties commendatâ eloquentiâ, qua audientium animi ad gloriæ cupiditatem alerentur? magis expetendum videbatur? DEUS bone! in quantos se usus dives Illorum lingua dispersit? Sæviit non millies ex pulpitis Ecclesiasticis in monstra criminū, cucurrit ùt fluvius leni susurrô in elogia Sanctorum, fluctuavit ùt profundum; quoties aut honor Procerum Regni suos Oratores, aut lacrymæ morte elicitæ consolatores suos haberi voluerunt, & quamcunq; vivis verborum coloribûs pinxit speciem, altorum adstipulatione sensuum veri repræsentavit imaginem. Magna & varia res est eloquentia, nec adhuc ulli sic indulsit, ut tota contingeret. Satis felix est, qui in aliquam ejus partem est receptus. At PATRES nostri PERILLUSTRES cùm scirent parva submissè, media temperatè, magna granditer dicere, cùm invenirent præclarè, disponerent apertè, figurarent variè, enuntiarent magnificè, quis satis demiretur vim integram fluidè dicendi facultatis eos complexos esse! Testatur id multitudo in concionibus docta, referunt mentes hominum, pro re modò huc, modò illuc impulsæ, prædicat salus populorum, & publica privataq; Religionis utilitas maxima ex parte contenta, fatentur politicæ, sacræ, scholasticæq; Cathedræ, divinarum & humanarum rerum exquisitissimâ doctrinâ dominari Eos & regnare expertæ, promulgant legationes cum dispendio vitæ, pro incremento honoris & commodi rebusq; tegendis & sarciendis Gentis literatæ gloriosè perfectæ & absolutæ, ipsa demum publici juris facta volumina suavi eruditione respersa, non solùm his, quæ ad temporanea essent, sed etiam illis, quæ ad Deum pertinerent referta,

non

non magis sapientes hos PROFESSORES vivere ab animo, quàm à calamo testantur. Meritò illos beatos dixerim, quibus Deorum munere datum est, & scribenda facere, & legenda scribere, ea verò scribere, in quibus accuratissimè Principum virorum celebratæ virtutes, disceptationes de Religione solidæ, sententiæ de maximis gravissimisq; rebus explicatæ, quantùm possit Horum erudita vox, oratio, sensus, satis declarant. Magna hæc, magna sunt prorsus, quametsi à me nec à limine, ùt ajunt; salutata. Quis enim illorum satis numerabit promerita, quorum nullum temporis momentum sinè novo effluxit labore. Philosophia dux vitæ, virtutis indagatrix, vitiorum expultrix, inventrix legum, morum magistra & disciplinæ id acerrimô Eorum ingeniô consecuta est, ut non solùm studentes, sed etiam conversantes juvaret. Quid enim huic contra morbos subsidio, ingenii remedio, & præsidio amicorum, quid inquam perdifficili scientiæ, laborum, operæ, curæ, virium & vitæ in extraditis summa cum diligentia suis Cursibus non impenderunt? Probârunt, quod verius esset inquirendo, nunquam destiterunt à concertationibus publicis aut privatis exercere suos, quæstionem, quæ in contentionem venerat; discutere, vel oppugnantis vel refellentis sustinere personam. Eos Discipuli, Eos Philosophi, cuncti Academiæ alumni, omnes singulorum ordinum & classium commilitones gavisi sunt sibi solertes & patientes vigiliarum præfuisse Decanos. Reliquerunt enim torporem ignavis, luxum perditis, desperatis insolentiam, & in omnibus studiis & actionibus suis quid deceret, indagârunt, & discentium instillârunt animis. Magnitudo ingenii, singularis admirandaq; reconditorum evolutio, præstantia, qua inter Philosophos Principatum & dominationem nacti sunt amplissimam; absorbet dicentis copiam. Ipsa Philosophia domi forisq; fortiter defensa, ipsa Facultas Artistica tantô Subjectorum adaucta numerô gratias sibi, quas potest maximas agere videtur. Formârunt eorum animos, quos laureis exornaverunt Philosophicis, spiritum ad gravamina Academica promptè suscipienda indiderunt, vitam dispoluerunt, actiones rexerunt, agenda & omittenda demonstrârunt, & Almam suam Matrem Universitatem prole eruditione fæcunda cumulârunt. Utinam! utinam tantum esset flumen ingenii, tanta vis roburq; orationis, quantùm PERILLUSTRES VIRI nullis se subtrahendo negotiis, sudârunt, & asserunt, videremus profectò Eos nunquam erectiores animô, & sublimiores mente, quàm cùm opus Dei molirentur, nihilô magìs exulceratos, quàm Religionis detrimentô, bene semper omnia & ad amussim operatos, eò ascendentes,

E dentes,

dentes, quò invidia nec sequi audet, nec potest. Nihil in se admiserunt laxum, præter motum animi liberum. Hôc Moralis, hôc Sacramentalis, hôc Speculativæ, Controversæ Theologiæ arcana investigare, clarè & ad captum faciliter perquam frequenti audientium turbæ instillare, adnixi sunt. Quoties descenderunt in aciem, toties de rebus Divinis gravissimisque Theologiæ sententiis strenuè disputantes palmam retulerunt. Nihil Eorum mentem præteriit, quorsum res tenderet, attento intellectu considerârunt, & cauti in cautes non inciderunt. Specimen antiquæ Eorum virtutis & fidei nôrunt illi omnes, qui suos sudores lautiùs biberunt, collegerunt in chartas, & hactenus colligunt. Exclamant ii, gestiunt, exultant, sub vigilibus Magistris se plurimum profecisse, & suam magnitudinem quoad possunt, voce calamisque declarare conantur. Quidni verò in sua causa triumphare videantur? cùm bonorum operum consultore spiritu animatos Professores, nihil sibi edictâsse, quod rationi non consonaret, experiantur. O quàm dulce est sub tantis Ducibus sacræ militare Theologiæ, qui integritati suæ nunquam injurii nullam planè nomini suo notam inurunt, qui ab inhonesto abhorrent animis & refugiunt, gliscunt in utilitate virtutum, ad indecora non deflectunt, cuilibet turpitudini se opponunt, toti bonis operibûs diffluunt, quæ perniciosa sunt, penitus averruncant. Sive de DEO loquantur, sive de Sacrosancto Incarnationis mysterio, de notis Ecclesiæ, de Summo Pontifice Romano, de Sacramentis, de virtutibus, de abditissimis sacræ Doctrinæ difficultatibus eruditas concertationes instituant, fortibûs argumentis publicas lucubrationes, noctium dierumque partus præmuniant & exornent? veraces esse, & viam DEI in veritate docere intimo Sapientûm virorum applausu audiunt. Ob tot egregias dotes, cuncta laudum ornamenta sibi vendicant. Præstantissimè omnia pro bono Regni istius Scholæ etiam gravissimis temporibûs agendo, nomen suum commendant immortalitati. Decorem Domûs DEI ab Illis dilectum esse ipsi muti Templorum parietes & sacris Victimis devota altaria clamitant. Primum quidem Nasiechovicensis Mecænatem, Alterum Veterocorcinensis Restauratorem sponsæ suæ Ecclesiæ nihil tentare absque exitu, nihil agere absque gloria, nihil aggredi absque effectu, nihil assumere, quod utrique ad honorem non cedat, palam testificari gestiunt. Gestientes ego non impedio, at Vos PATRES Optimi operâ, consiliô, studiis, ad omnes exigentias accommodari, pressos incommodorum acerbitatibûs nunquam tamen effætos versari, nullum diem negligere,

re,

re, nullis voluptatum blanditiis deliniri, assidua & non intermissa contentione, seria, gravia, & Academiæ utilia meditari, ad vindicandam sæculi gloriam, ad demerendam posteritatem animô vegetos & erectos, non tam oris facultate, quàm studiô officiôque meô libens reverensque non fateri nec debeo, nec possum. In culmine literarii honoris consistitis, quia per declivia virtutis non ferebamini. Solerter negotiis applicati, partes omnes explevistis præstantissimæ indolis. Virtus vestra emerita, ita se omnibus exeruit spectanda, ut cùm ditesceret verbis, nunquam egeret ingeniô. Junxit nimirum inter negotiorum molimina cum florida elocutione sapientiam divitem. Hac vitæ Academicæ norma antevertit rerum eventus, curas præoccupavit agendas, malis occurrit venturis, pugnavit ante pugnam, antequam vinceret, reportavit victoriam, egit antequam ageret, absolvit, antequam inciperet. Magnitudo sua illa est, qua animus vester inter difficilia infractus, captus amore sapientiæ, omnibus vel commoditatibus, vel jucunditati universæ honestatem & laborem anteposuit. Constantia, quæ sola coronatur, cùm aliæ virtutes mereantur coronam, hæc inquam vestra constantia, nescio an potiùs patientia? qua vos armatos neque laboris Academici perplexitates à suscepto consilio deterruerunt, neque vitæ suavitates à natura unicuique præscriptæ ab instituto cursu avocârunt, neque aliquod otii desiderium ab incredibili celeritate retardavit. Miror Vestram industriam, qua ita in hoc doctrinæ curriculo usi estis, ut ne minimùm quidem à summa laude abesse videremini. Nulla enim res dignitatem & veram utilitatem afferens tantum difficultatis habuit, ut non posset vestrô ingeniô diligentiâque superari. Superâstis vigiliarum adversa rebus omnibus cognoscendis & agendis intenti. Nulli à laboribus petiistis vacare. Una Vobis cura fuerat, ut quovis officiorum genere conscientiæ satisfaceretis. Devoti, vigilantes, nusquam malis conniventes ostendimini. Navi, industrii ac solertes auditis. Consiliô & acri mente feliciter imbuti unà cum annis fecistis mores senescere. Honestissimi illi præclaris gestis & omni sapientiæ claritate ornatissimi ad imos vestros permeârunt sensus & in succum ac sanguinem conversi sunt. Quoniam verò angustiis temporis ita coarctor, ut ne in re quidem perfacili me satis unquam expediam, vestraque promerita sunt ejusmodi, ut in illis pro dignitate explicandis, tota utendum sit æternitate, pace vestra jam littus orationis appello. Vestræ virtuti copiâ dicendi instructissimis ad prædi-

candum relictæ; vivere Vos, & in hoc commorandi diversorio à natura concesso Dii boni hucusque versari permittant, donec ipsi non parcentes labori, cum hostibus Ecclesiæ omni ratione dimicantes, adeuntes pericula, vitam ipsam in hoc præstantissimo Doctoris Theologi complendo munere, cum gaudio profundentes, ultro hinc evolare non cupiveritis. Atque ego dignitati, honestati & utilitati Theologicæ hactenus pro virili immoratus, sacris usus sum, modicè quidem, quia Philosophus. Crescent in animo vires, si vita non decreverit. Vos qui causâ laudum Theologiæ huc frequentes convenistis, inopiam, parcitatemqué verborum non cælesti huic disciplinæ, sed exili jejunæqué orationi & imbecillitati dicentis tribuendum putetis.